ENGELBERTUS ADMONTENSIS

Klosterneuburg, 1384 Seite 78v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Cogitaui ergo recognoui. recognicio includit in sua significacione tria. primo sciam precedentem. ii. obliuionem subsequentem. iii. recordacionem superuenientem. Ista tria attendunt in peccantibus et a peccato reuertentibus per conuersionem. Primo sciam precedentis. quia licet omnia bona facienda et mala cauenda multi explicite ignorent. tamen bona et mala ex suo genere et in communi omnia omnes sciunt in generali et ex illis per consequens per processum rationis naturalis multa bona et mala in speciali. secundum Ps. Multi dicunt quis ostendit nobis bona etc. quasi uolentes se per ignorancias excusare. quibus statim respondet quis ostendat et ostendit omnibus bona ita ut omnes sint inexcusabiles. quia signatum est. i. per modum sigilli impressum super nos. scilicet in superiori parte rationalis anime in qua est ymago dei. lumen uultus tui. i. lumen naturalis intelligencie quod procedit a uultu dei per creacionem sed configurans in nobis ymagines. Vnde cum omnes habeant istud lumen in se in ipsa ymagine omnes inexcusabiles sunt ita quod omnes contrarium illi lumen sacientes reputantur transgressores et incidunt in penam legis Ps. Preuaricantes reputaui omnes peccatores terre. Infra. Lra. xv. versu. vii. vbi dicitur. ¶ Vtrum autem ignorancia legis euangelice aliquos excuset super hoc uidetur apostolus dicere quod nullum excuset quia ad omnes peruenit per auditum. secundum Ad. Rom. ix. Numquid non audierunt. Equidem in omnem terram exiuit sonus eorum etc. Sed posito quod aliqui sint in mundo qui numquam audierunt. Adhuc nec illi excusantur nec deus propter hoc est iniustus quia cum omnes teneantur illo reatu originalis peccati quod obligat ad penam eterne dampnacionis cuius peccati penalis sequela est illa ignorancia. proinde non excusat nec subportat in apena sensus adultos usum rationis habentes sed alleuiat inicium ardentes. Vnde Augustinus in libro de gracia et libero arbitrio. Illa ignorancia que est eorum qui scire noluit de quibus dicitur noluit intelligere ut bene ageret. sed illa que est eorum qui simpliciter nesciunt neminem sic excusat ut sempiterno igne non ardeat si propterea non credidit quia non audiuit omnino quem credere sed fortasse iuuat ut inicium ardeat etc. Et est ratio huius quia omnes debitores per adam tenentur ad fidem mediatoris cum sine mediatore non sit salus nec solucio debiti. Vnde ignorancia eorum et qui non audierunt est ignorancia eius quod debuit et oportuit scire quod non euadit penam quia debitum patris transit in heredem quem non excusat ignorancia cum factum patris scire teneatur cui succedit in totum. ¶ Secundo attenditur in peccantibus obliuio subsequens que ad presens attenditur respectu dei et respectu sui ipsius. Respectu dei tripliciter. scilicet primo tamquam creatoris. Deut. xxxiii. Deum qui te genuit deliquisti et oblitus es dei creatoris tui etc. quod obliuio cedit in iniuriam presumpcionis tamquam homo id quod est non sit a deo sed a se ipso. i. Cor. iiii. Quid habes quod non accepisti aut si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis. Sed tamquam redempcionis Ecc. xxix. Graciam fideiussoris tui non obliuiscaris sed memento quia animam suam dedit pro te etc. Hec obliuio cedit in iniuriam ingratitudinis que dissuadetur. Ad Hebr. xii. Recogitate eum qui talem sustinuit aduersus se contradiccionem etc. Sed tamquam remuneratoris cuius contrarium persuadet Job. xvii. Scitote esse iudicium. Ps. Iudicabit orbem terre in equitate etc. Hec obliuio cedit in iniuriam induracionis. Ps. Furor illius scilicet induratis secundum similitudinem serpentis sicut aspidis surde et obdurantis aures suas. Ps. Nolite obdurare corda uestra. ¶ Secundo et attenditur hec obliuio respectu sui ipsius. Obliuiscitur enim peccator. i. vnde veniat quo ad suum principium. Ps. Labia uestra a uobis sunt quis uestrum dominus est. Ps. Dixit insipiens in corde suo non est deus. Sed quomodo uadat quo ad suum medium. Ps. Nescierunt neque intellexerunt in tenebris ambulant. Sed quo tendat quo ad suum terminum. Trenorum. i. Sordes eius in pedibus eius nec est recordata finis sui etc. ¶ Tercio attenditur in reuertentibus recordacio superueniens. i. dei tamquam creatoris Ecc. xii. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tue etc. scilicet in diebus presentis uite dum est locus penitencie

Vtrum peccantes excuset ignorancia